

sufficiet vel nonnulla posuisse, & eo quidem ordine, quo se quodque memoriae offeret. Nam & sic iudicium meum verum vanumne sit, cuique licebit existimare, & lectores N. T. non exercitati satis, vel paucis his exemplis admoniti, ut & in reliquis auctoritatem eiusmodi Virorum posthac temere ne sequantur, cavere sibi facile poterunt.

Primi generis exempla haec sunt. ὠτίον Pasor, Stockius &, quod mirari satis non possum, Suarzius; dicunt esse apud Matthaeum reliquosque Evangelicem auriculam, quum tamen ipsam auras, significet. nam primo respondet in Versione Alexandrina V. T., atque adeo in N. T. libris, nomini Hebraeorum אָזְנוֹ: quo ipso vocabulo & Syrus interpres verbum Graecum reddidit. vertit enim אָזְנוֹ: אָזְנוֹ autem auris est, non auricula. Deinde observant Grammatici veteres Graeci, ὄς vocabulum Atticum esse, ὠτίον reliquis Graecis commune. Moeris: οὖς, Ἀττικῶς ὠτίον, Ἑλληνικῶς. Thomas Magister: οὖς Ἀττικὸν, ἔκ τῶ τίον: ubi apud Phavorinum, a quo & haec verba in suum Lexicon translata sunt, pro Ἀττικὸν legitur, errore facili, Ἀττικοί. Ex qua  
 obser-